



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Signis Prædestinationis, Et Reprobationis, Et De Numero Prædestinatorum, Ac Reprobatorum

Recupito, Giulio Cesare

Lvgdvni, 1681

Cap. XV. Octavum reprobationis signum, Luxuria.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44272

nerat. Spiritus verò Sanctus etiam Virginitatem præfert neque genitus, neque generans. Ideo Sanctissima Trinitas primum est Virginitatis exemplar: & ut ita dixerim, prima Virgo est. Quod observans Nazianzenus in carm. de Virgin. ita cecinit:

*Prima Trias virgo est, siquidem Patre natus amando
Filius est, nec enim Pater ortum traxit ab ullo, &c.*

Si Virginitas Sanctæ Triadi reddit similem, ad prædestinationis auspici-um non plus ultra. Ut jurè virginitas, quemadmodum supra diximus, lilio comparetur. Nam si, ut advertit Valerianus in hierogly. lib. 55. in antiquorum monumentis cum inscriptione spei, lili potius figura, quam cujusquam floris speciem ostendat: nulla alia virtus cœlestis regni spem exhibet, sicut lili-um virginitatis. Hæc de signo prædestinationis in castitate reposito.

Valer.
Lilium spei
hierogly-
phicum.

CAPVT XV.

Octavum reprobationis signum, Luxuria.

Luxuria re-
probationis
signum.

Luxuria
ignis devo-
rans usque
ad damna-
tionem.
Genes. 19.
Innocentius.

Hieronym.

Proverb. 7.
Meretricis
domus in-
ferus.
1. Cor. 6.

Augustinus.

DIco decimoquintò. Luxuria speciale reprobationis est signum. Probatur primò è Scripturis. Primus locus est Job 31. ubi: *Pe-
pigi, inquit, fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgi-
ne. Quam enim partem haberet in me Deus desuper, & hereditatem
Omnipotens de excelsis?* Ergo in eo, qui vel simplici carnis incentivo
assentitur cogitando de virgine, Deus neque partem habet, neque hæ-
reditatē: quod est adnumerari inter reprobos. Addit infra de adulte-
rio loquens, *Ignis est usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans
genimina.* Si devorans usque ad perditionem, utique usque ad dam-
nationem. Idcirco *super Sodomam Dominus pluit sulphur & ignem*
Genes. 19. Quia, ut notant Innocentius Tertius lib. de contemp.
sæc. cap. 25. *pluit super ardorem libidinis, ut pœna similis esset culpæ.*
Porro ignis prænuntius est flammæ infernalis, cum luxuriosis hic
infernum exhibeat. Quamobrem dicit Isa. 57. *animæ libidini deditæ,
humiliata es usque ad inferos:* ut enim notat in hunc locum Hiero-
nymus, *revera grandis humilitas, imo & usque ad inferos præcipita-
tio: de luce & culmine castitatis in tenebras lupanaris, imò in bara-
thrum libidinum præcipitari.* Idè etiam dicitur Proverb. 7. *Via
infernus domus ejus. Meretricis ergo, ut expendit Augustinus ser. 107.
de temp. pro inferis ponitur domus: quia ignem inferni habet.*
Secundus locus est 1. ad Cor. 6. *Neque molles, neque fornicarii,
neque adulteri regnum Dei possidebunt.* Ergo in his constituitur spe-
ciale signum reprobationis. Quod expendens Augustinus in libro de

con flictu vitiorum cap. 24. O quam parua, inquit, est concubitus hora, qua perditur vita futura! Quod autem emolumentum affert id quod tam citò perducit ad tartara?

Tertius locus est ad Ephesios 4. *Desperantes semetipsos tradiderunt impudicitia, in operationem immunditia omnis.* Ergo impudicitia deperationem patit; desperatio verò damnationem. Quibus autem gradibus ad hunc baratrum descendatur, explicat Glossa in Job c. 31. *Visum, inquit, sequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem consensus, consensum opus, opus consuetudo, consuetudinem necessitas, necessitatem desperatio, desperationem damnatio.* Hæc è Scripturis. Ephes. 4. CCIII. Gradus quibus impudicitia ad damnationem trahit. Glossa.

Probatum idem secundò ratione. Prima ratio. Quò aliquid magis est deviativum ab ultimo fine, eò majus reprobationis est signum. Sed luxuria est maximè deviativa ab ultimo fine. Ergo, &c. Major patet, quia terminus reprobationis est oppositus termino prædestinationis, qui est affectio finis ultimi. Minor probatur, quia id quod maximè trahit ad sensibile, maximè deducit ab intelligibili, & potissimùm à puro & summo intelligibili, quod est Deus, maximè abstractus à sensibus. Sed luxuria maximè omnium trahit ad sensibile, quia trahit ad delectationem inter sensibilia vehementissimam. Ergo maximè deducit à Deo, primo & summo intelligibili: & sic est maximè deviativa à fine ultimo. Confirmatur primò, quia delectatio venerea maximè obscurat intellectum, cum maximè trahat appetitum: hic autem trahit intellectum ad ea tantùm sensibilia concipienda, ad quæ affectus trahitur. Ideoque, ut notat Aristoteles in *Aristot. probl. sect. 30. probl. 13. Qui deterius animo sunt affecti, deteriora concipiunt.* Quod expressè docet Paulus loco citato ad Ephesios 4. ubi *tenebris, inquit, obscuratum habentes intellectum, alienati à Dei via, qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitia, &c.* Ideo dicitur Lucæ 12. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucerna ardentes in manibus vestris;* quia conjungitur cum castitate lumen; tenebræ & cœcitas cum luxuria. Quod observans Bernardus serm. 5. de confess. *Non poterunt, inquit, alii esse lucerna ardentes, nisi illi qui lumbos præcinctos habent: nisi enim ignis inferior extinguatur, superior lucere non potest.* Ex hac cœcitate oritur etiam permanentia in peccato; & sic peccatum finale, unde damnatio. Quippe intellectus à nimio sensibili obscuratus, non advertit periculum imminens, & gravitatem peccati. Quod observans Chrysostomus homil. 27. in Genes. *Sicut, inquit, Sus in luto immergitur, sic & anima mala consuetudine obscurata ne sentit quidem suorum fœtorem peccatorum.* Quando autem quis morbo affectus redditur insensibilis, salus habetur pro deplorata. Confirmatur secundò ex maxima oppositione ultimi finis ad voluptates venereas. Quippe Deus est actus purissimus abstractus ab omni opponatur. Luxuria maximè deviat ab ultimo fine. Castitati lumen, luxuriæ tenebræ conjunguntur. Bernardus. Chrysostomus. Voluptates venereas maximè Deo

materia, etiam intelligibili: animus autem deditus veneris versatur circa impurissima, & concretissima. Quod si de cœlesti Hierosolyma dicitur Apoc. 21. *Nihil coinquinatum intrabit in ea*; quomodo promittere sibi potest ad eam aditum coinquinatus animo, & corpore? quod indicavit Christus Matth. 7. *Ne mittatis margaritas ante porcos.* Ut enim dicitur Matth. 13. *Simile est regnum celorum homini querenti bonas margaritas.* Idem etiam dicitur Apocal. 21. *celi singula porta singula margarita.* Margaritæ autem excludunt maximè porcos: per quos homines lascivos intelligit Chrysostomus.

Luxuria fert omnia alia vitia secum.

Ambrosius.

Luxuriosorum nulla cura nisi vitæ explere.

Secunda ratio. Luxuria fert secum omnia alia vitia. Ergo maximum reprobationis est signum. Consequentia patet, quia per quodlibet vitium tenditur ad perditionem; & sic per plura vitia ad eam multipliciter, & celerius tenditur. Antecedens probatur, quia luxuriosus, dum agitur zelotypia erga æmulos, labitur in superbiam, rixas, homicidia: dum prodigus largitur amasæ, appetere incipit aliena; & sic incidit in avaritiam, in furta, in iniustitias: dum nutrit corpus, indulget gulæ. Nam, ut notat Ambrosius lib. 7. in Lucam cap. 66. *non alia cura est luxuriosis, nisi ut ventrem expleant, quorum Deus venter est.* Denique dum luxuriosus totus in suis amoribus occupatur, peccat circa spiritualia peccato accidiæ: & sic omnia septem peccata capitalia trahuntur à peccato luxuriæ. Quod egregiè advertens Ambrosius in tract. de Helia, & jejunio, *luxuria*, inquit, *seminarium, & origo est vitiorum. Nec arbitremini me adversus Apostolum dixisse, quia ille ait, avaritiam radicem esse omnium vitiorum, quoniam luxuria ipsius est mater avaritiæ: etenim cum exhauseris quis luxuriando proprias facultates, querit postea avara compendia.*

Septem dæmonia è Magdalena ejecta universa fuerunt vitia.

Gregorius. Job. 31.

Luxuria ad amissionem fidei aliquando perducit.

1. Tim. 1.

Ambrosius.

Confirmatur primò ex Lucæ 8. ubi dicitur de Maria Magdalena exisse septem dæmonia. Id est, ut ibi Glossa, *universa vitia, quibus plena fuerat.* Quippe, ut notat Gregorius lib. 3. mor. cap. 15. *septenario numero summa universitatis exprimitur.* Tota igitur universitas vitiorum, ac dæmonum in impudica muliere. Confirmatur secundò ex Job 31. ubi dicitur libido esse *ignis omnia eradicans genimina.* Momento enim temporis libido absomit quidquid virtutum longa ætate collectum est; idque eradicando, & tollendo virtutes radicatus, quia sine ulla spe resurgendi. Tum quia per luxuriam devenitur aliquando ad amissionem ipsius fidei, quæ radix est virtutum. De luxuriosis enim specialiter intelligitur id, quod dicitur 1. ad Timot. 1. *quidam repellentes bonam conscientiam circa fidem naufragaverunt.* Ideo Ambrosius epist. 1. ad Sabinum: *Vbi*, inquit, *cœperit quis luxuriari, incipit deviari à vera fide.* Quod patet experientia in Luthero, Calvino, Beza, multisque aliis hæreticis nostri temporis: qui ex luxuria devenerunt ad hæreses. Tum etiam quia, etiam permanendo

manendo in vera fide, ex actibus luxuriosis gignitur habitus vitiosus adedò radicans, ut pene spem tollat reviviscentiæ ad virtutem. Quippe, ut advertit Aristoteles libro 7. de historiâ animalium cap. 1. de iis qui in adolescentiæ initio venereo vsui non temperaverint: qui minùs caverint, propensores eòdem efficiuntur: meatus enim laxantur, redduntque corpus lubricum; & simul voluptatis, quæ olim gestierant, memores, desiderio moventur præteritæ contrectationis. Unde fit, ut etiã in senibus pene extincto calore, libidinum desideria exæstuent: & sic devenitur ad impœnitentiam finalem, ex qua damnatio.

Luxuriæ vitiosus habitus pœnè immedicabilis. Aristot.

Tertia ratio. Luxuria maximè difformat hominem à Christo. Ergo maximum reprobationis est signum. Consequentia patet, quia tota prædestinatio fit per conformitatem ad Christum, juxta illud Pauli ad Rom. 8. quos prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui: & sic tota reprobatio sumitur per difformationem ad Christum. Antecedens probatur, quia Christus virgo, & filius Virginis: ac proinde, ut ait Hieronymus epistola 22. ad Eustochium, *Virginitatem & in se & in matre sua dedicare voluit: vterque enim sine concupiscentiæ fomite. Christus quoque specialiter dilexit virgines, ut apparet in Ioanne, qui dicebatur per antonomasiam, discipulus quem diligebat Iesus; quia, ut etiã in ejus Officio notat Ecclesia, specialis prerogativa castitatis, ampliori dilectione fecerat dignum; quia virgo electus ab ipso, virgo in ævum permansit. Tantum autem Christus amat virgines, ut dicatur de illo Cant. 2. qui pascitur inter lilia, nempe, ut notat Gregorius, sponsus inter lilia pascitur; quia animarum castitate delectatur, quæ & in se munditiam carnis conservant, & per nitidas cogitationes coram eo placent, qui pascitur inter lilia. Ergo si Christus maximè delectatur virginibus; utique à contratio licet inferre, quod maximè abhorret à luxuriosis: qui summæ ejus & matris virginis puritati maximè difformantur.*

Rom. 8. Luxuriosi difformantur à Christo Hieronymus.

Cant. 2. Gregorius.

Confirmatur primò, quia luxuria non solùm difformat à carne Christi virginea; sed etiã ab ipsamet Christi humanitate, cum ex hominibus reddat belluas. Ideo dicitur Oseæ 4. *fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor, nempe intellectum: unde prudentes homines dicuntur cordati. Sublata autem ratione, per quam constituitur homo in esse hominis, remanet purum animal & bellua. Ideo in eum locum Hieronymus, fornicatio, inquit, & voluptas pervertit sensum, & de rationabili homine brutum efficit animal. Inter bruta autem animalia immundissimo comparatur, nempe porco. Ideo dæmones rogaverunt Christum, Matth. 8. ut mitteret eos in gregem porcorum: quia scilicet eis dæmones oblectantur, tanquam simulacris luxuriosorum. Siquidem, ut notat Clemens Alexandrinus libro 3. pædagog. cap. 11. impuri homines porcorum instar corporalibus voluptatibus perfunduntur. Ideò luxuriosus, abjecta humanitate, abjicit etiã Dei.*

Luxuria ex hominibus belluas reddit. Oseæ 4.

Hieronymus. Matth. 8. Dæmones cur in gregem porcorum mitti petierint. Clem. Alex.

imaginem per omnia ornamenta rationalis naturæ: quod notat Ambrosius libro 7. in Lucam, *dum ille, inquit, (filius prodigus) vivendo luxuriosè consumpsit omnia naturæ ornamenta.*

CCIV.
Ambrosius.
Luxuria ho-
minem non
solum bellu-
am reddit
sed dæmo-
nem.

Confirmatur secundò, quia luxuria non solum reddit hominem belluam, sed etiam dæmonem. Quamobrem Ambrosius libro 1. de Virginitate: *Castitas, inquit, Angelos facit; qui eam servavit, Angelus est; qui eam perdidit, diabolus.* Fortasse quia peccavit Angelus quadam spiritali luxuria, ut docet Scotus in 2. d. 6. q. 2. Quamobrem Chrysostomus homil. 4. in epist. ad Romanos, luxuriosorum vitam diabolicam appellat: sicut econtrariò, *Virgines*, ut ait Tertullianus libro 1. ad uxorem *de familia Angelica deputantur.* Quod autem majus reprobationis est signum, quam adhuc viventem, unum de familia diabolica reputari?

Deus per se-
ipsum luxu-
riam punire
vult.
Genes. 19.
Innoc.

Apocal. 4.

Misericordia
divina per
smaragdum
designata.

Confirmatur denique tertio ex odio speciali, quo Deus hoc vitium prosequitur: quippe qui soleat alia peccata punire per Angelos, etiã malos, luxuriæ voluit ipse esse veluti carnifex. Ideo dicitur Gen. 19. *Dominus pluit super Sodomam & Gomorrhæam sulphur & ignem à Domino de cælo.* Quod expendens Innocentius III. libro de contemptu sæculi cap. 25. *noluit, inquit, Dominus cuiquam Angelorum vel hominum executionem hujus pœnæ committere; sed sibi metipsè vindictam hujus sceleris reservavit.* Neque mysterio vacat, quod visum est à Joanne Apocal. 4. *Iris similis visioni smaragdina.* Iris enim, ut notat in eum locum Ambrosius, divinam misericordiam designat; quæ similis dicitur visioni smaragdinae, quæ est gemma vivens: & ut notat Plinius libro 37. cap. 5. *nullius coloris aspectus jucundior: nam herbas quoque virentes, frondesque avidè spectamus: smaragdos verò tantò libentius, quoniam nihil omnino viridius comparatum illis lucet.* Quo significatur mentis nostræ oculos divinæ misericordiæ præsentia & consideratione maximè recreari; sicut oculus viriditate smaragdi. De hac autem gemma refert Albertus Magnus, quod adeo libidini adversatur, ut experientia compertum sit in re venerea si quis eam attingat, sponte frangi. Quo innuitur ob luxuriam, divinam misericordiam smaragdo similem, rescindi, ac pœnè frangi.

In quo apparet error existimantium hoc esse peccatū fragilitatis, & sic Dei misericordiam facile hoc peccatum condonaturam: Hoc enim præsertim in consuetudinem ductum, peccatum est maximæ malitiæ. Quippe peccatum eò majorem injuriam facit Deo, quò præponit illi aliquid vilius. Luxuriosus autem Deo præponit vermes & stercora, in quæ resolvitur humana caro: atque aternæ felicitati anteposit voluptatem momentaneam communem pecudi, omniumque vilissimam ac turpissimam. Vilitatem hujus peccati perpendit Ambrosius libro ad virginem corruptam cap. 2. ubi, *de Dei virgine, inquit, facta es corruptio Sathana: de habitaculo Spiritus sancti, & de*

Ambrosius.
Vilitas pec-

gurium diaboli. *Quae incedebas ut columba, nunc lucet in tenebris sicut stellio; quae fulgebas ut aurum propter virginitatis honorem, nunc vilior facta es luto platearum; quae fueras stella radians in manu Domini, veluti de alto ruens conuersa es in carbonem.*

Addit Chrysostomus homilia 29. in Matth. luxuriosos inuadi solere à dæmonibus, imò nihil differre à dæmonibus. *Scire, inquit, licet multos homines, qui porcorum more viuunt, facile à dæmonibus inuadi solere: qui quousque aliquid hominis sapiunt, forsan effugere poterint: si verò porci omnino fient, non solum à dæmonibus exagitabuntur, sed etiam per præcipitia deferentur.* Et infra: *quia luxuria correptus, atque petulans, qui ad omnem corporis formam hincit, differt à dæmoniacis; Possessi autem spiritualiter à dæmonibus Deo sunt execrandi; ac pignus iam habent æternæ damnationis.*

Chrysostom.
Luxuriosus à
dæmoniacò
non differt.

Denique Virgines prædestinationis habent signum, quia dum dicuntur Apoc. 14. *sequi Agnum quocumque ierit, iam deputantur inter oues quæ statuendæ sunt à dextris.* Luxuriosi verò reprobationis habent signum, quia iam computantur inter hædos, quos statuet à sinistris, Matth. 25. *Quippe, ut notat Cornelius in hunc locum, reprobos hædis comparat, quod animal immundum est, petulans ac lasciuum.* Christus igitur reprobos potissimum hædos vocat, ut ostendat eorum ferè reprobatorum numerum completi ex lasciuis, ac proinde specialissimum reprobationis signum subesse in lasciuia.

Apoc. 14.

Cornelius.

CAPVT XVI.

Nonum prædestinationis signum, Passionis Christi grata memoria: Reprobationis, obliuio.

Dico decimosextò. Maximum est prædestinationis signum grata memoria Passionis Christi: reprobationis, obliuio. CCV.

Probatur primò è Scripturis. Primus locus est Psalm. 21. *Reminiscetur, & convertentur ad Dominum omnes fines terra.* Loquitur manifestè hic Psalmus ad litteram de Christi Passione: citatur enim Matth. 27 ille versiculus, *diuiserunt sibi vestimenta mea, &c.* In hoc ergo Psalmo, quem à Christo recitatum in cruce tradunt aliqui, recenset Propheta sub persona Christi, furorem Judæorum comparatione vitulorum, *circumdederunt me vituli multi: Taurorum, tauri pingues obsederunt me: Leonum, aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens: Canum, circumdederunt me canes multi.* Denique apertè appellat consilium malignantium, *& consilium malignantium obsedit me.* Commemorat insuper contumelias, *aperue-*

Psalm. 21.